





25.

2. D. B. V.
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

2VA
MAGNESIA ALBA
NOVVM ET INNOXIVM PVRGANS
POLYCHRESTVMQVE MEDICAMENTVM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

VVILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE AC MONTIVM
ANGARIAE ITEM VVESTPHALIAE QVE E. R.

ANNVENTE ILLVSTRI FACVLTATE MEDICA IENENSE
SUB MODERAMINE

IO. HADRIANI SLEVOGTII

HEREDITARII in Ober-Rosslau

MED. D. ANAT. CHIRVVG. ET BOTAN. P. P.

MED. DVC. PROV.

PRAECEPTORIS PATRONI ET PROMOTORIS SVI VENERANDI

PRO LICENTIA

SVMOS IN MEDICINA HONORES

INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

MAIORVM MORE RITE CAPESSENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

BVRCHARDVS IOANNES LEMBCKEN

VERDENSIS

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

AD D. XVIII. DECEMBR. A. C. MDCCIX.

I E N A E

LITERIS GOLLNERIANIS.



D I S S E R T A T I O I N K I N G I A L I M P I C A

M A G I S T E R A L B A

D O N N I E S M A G I S T R I I R E G I S

I N S T I T U T I O N I S M E D I C I N A E

U N I V E R S I T A T I S H E N R I C O

I N S T I T U T I O N I S M E D I C I N A E

I N S T I T U T I O N I S M E D I C I N A E

I N S T I T U T I O N I S M E D I C I N A E

I N S T I T U T I O N I S M E D I C I N A E

I N S T I T U T I O N I S M E D I C I N A E

I N S T I T U T I O N I S M E D I C I N A E

I N S T I T U T I O N I S M E D I C I N A E

I N S T I T U T I O N I S M E D I C I N A E

I N S T I T U T I O N I S M E D I C I N A E





I. I.

PROLOQVIVM.



Lter iam annus agitur, ex quo epistolam, a celeberrimo Giesensium Professore, D. D. Valentino ad illustrem Leibnizium, de MAGNESIA ALBA scriptam, legere datum fuit. Incessit illico seria quaedam & laudabilis multorum Medicorum animos cupido, *novum* eiusmodi, vt vocatur, *genuinum, polycbrestum & innoxium pharmacum purgans* cominus spectandi non solum, sed eius quoque viribus tam salutaribus aegrotos suos efficaciter impertiendi. Cum enim nec saporis amaritiae, vt laudata caeteroquin cathartica, colocynthis, helleborus niger atque aloë sumentes terret, nec vt scammonium & ialappa bryoniaque, viroso aliquo odore nauseam moueat, multoque minus cum euphorbio, laureola & esula fauces acredine accendat, aut hisce ricinoque & cataputiae familiaria tormina, cum periculosa hypercatharsi producat; sed blanda tantum irritatione primas vias ad tolerabiles excretiones stimulet: hinc suo merito ab iis, qui non solum cito atque tuto, sed etiam iucunde iuvare cupiunt, reliquis omnibus antefertur; sique praeterea promissis effectus responderet, vt, quod relatum legimus, Magnesia, inaudito hactenus exemplo, & adhibito quali iudicio, *selectum inter vtile & in-*

A

utile

uile instituendo, non nisi nocivas cruditates eiceret, iisque per primam vel iteratam dosim penitus remotis, frustra postmodum exhiberetur, & nullam prorsus in vitales humores cathartica virtutem exerceret, tunc esset certe, cur praesenti seculo de singulari & cunctis retro temporibus negata felicitate gratularemur, nunc demum medicamentum electiue purgans, tantopere desideratum, prodiisse, quod Hippocratis sententia, A. 25, S. I, nec non A. 3, S. 4, aegrotis conferat, & facile ab iisdem feratur; siquidem ab eo, *ὅσα δὲ κατὰ φύσιν, κατὰ φύσιν, qualia oportet expurgari; expurgantur.* Desinet tunc Helmontius, (eumque hoc in passu nimis venerans VValdfeldmius,) porro purgantibus maledicere, vt passim in libellis suis & in primis cap. V, de febribus, facit, eaque vt *crudela & stupida inuentum, nemini non suspectum* proclamare, quod *toxici quid foueant, merumque venenum sint*, hinc *cruram putrefaciant, carnemque sanam liquent, & ne utiquam humorem peccantem prae non peccante exigant, sed indifferenter quicquid attingant, id contaminent.* Erubescet etiam Gehema, quod in praeceptoris sui, Cornelii Bontekoe, gratiam, purgantia, vna cum sanguinis missionibus aliisque salutaribus praesidiis, *crudelia mortiferaque remedia* appellauit: sique nec infinita praxeos testimonia, vtilitatem eorum demonstrantia, nec docta responsio B. Geuderii eum ad meliorem mentem reuocauerunt, ab vnica tamen Magnesia semet sufficienter refutatum confitebitur. Hanc enim excellentissimus Valentinus, *ob incomparabiles, quas generi humano praestat, vtilitates, magni imo maximi habendam esse* censet, tantisque encomiis legentibus commendat, vt aliorum pariter ac nostram quoque mentem prorsus fascinauerit, & incredibile desiderium talismodi thesaurum obtinendi, in nobis excitauerit. Cui voto obtinendo apta sese obtulit occasio, cum specimen inaugurale, iussu gratiosissimae Facultatis Medicae, edendum esset, & D. Praefes quae sibi cum per praxin propriam, tum insignium virorum, D. Hel-

Heldii, Consiliiarii & Archiatri Baruthini spectatissimi, & celeberrimorum Praeficorum, D. I. G. Kifneri, Francofurtensis, & D. Mülleri, Naumburgensis, Fautorum suorum honoratissimorum, observationes de hac materia compta haberet, suggerere beneuole promitteret; ideo hanc potius, quam vllam aliam dissertationi solenni, in qua vires exercerem, materiam destinare volui. Faxit summum Numen, vt coepta cedant feliciter.

§ I.



St autem laudata **MAGNESIA ALBA** puluis leuis, candidus, inodorus & inspidus, primum Romae, ex lixivia vitri, a crystallo- rum eius generatione residuo paratus, virtutem humores corporis humani vitiosos corrigendi & per aluum educendi habens.

§ II.

Praemitimus dissertationi definitionem, vt omnem amphiboliae occasionem praescindamus. Cum, vt verum fateamur, haud leuis obscuritas etymologiam thematis premar, necessumque sit, ex descriptione aliquaem ideam eius animo concipere, quam ex nudo nomine vix sibi quispiam formaverit. Est equidem Magnesia vocabulum haud infrequens apud antiquos scriptores; cum Strabo vni ex quinque Thessaliae tractibus nomen hoc assignauerit, eandemque appellationem, secundum Plinium, Hist. nat. lib. V, cap. 29; & lib. 36, cap. 16, aliosque Geographos etiam provincia quaedam, Macedoniae contermina, nec non Asiae & Ioniae vrbes, oppidum item Lydiae, & rursus aliud super Macandrum situm gesserint: nihil tamen inde, quod nostro negotio conueniens sit, elicere valemus: nisi quod intelligamus, ἢν μαγνησίαν λίθον, ab Hippocrate ad educendum παλαιότερον φλέγμα, ἢ λευκὸν καλέεται, lib. de intern. affect.

sect. text. 23, p. 224, Tom. 2, edit. Lind. commendatum, in vno vel altero dictorum locorum patriam habuisse, totoque coelo a nostra Magnesia discrepasse. Quamuis enim, si Foessi Oeconomiae credimus, purgans Coi lapis ad *magnetis* familiam pertinnerit, & a Dioscoride, Lib. V, c. 101, de Med. mat. ἢ λίθος μαγνητικός cum aqua *mulsa*, trium obolorum pondere, ad humores crassos educendos, datus fuerit, & Plinius, libro supra citato 36, c. 16, inter quinque magnetum species, vnum ex Asia venientem, *coloris candidi*, vt noster puluis est, *pumicique similem* describat; nondum tamen res expedita est: quia Plinius suo lapidi yltra vim, oculorum vitiis, epiphorae imprimis, ambustisque membris succurrendi, nihil tribuit, Dioscorides autem non *candidum magnetem* & *porosum*, sed colorem ad *coeruleum* vergentem habentem, atque *densum* requirit. Vt taceamus, quae Mathiolus in comment. ad cap. 27, lib. 6. Dioscor. de magnete, homines *lunaticos* & *melancholicos* efficiente, nec proinde interne usurpando profert; cum ea non minus a veterum sententia de hoc lapide, quam a nostri puluilli natura profus aliena sint.

§ III.

Misis igitur veterum *magnetis*, quid recentiores per istud vocabulum exprimere velint, dispiciemus. Paracelsus, Tom. I, tract. de natura rerum, lib. 8, de separat. earum, vbi de Electro. rubeo, aurichalco & similibus transmutatis, vt vocat metallis, ab aliis corporibus per mercurium viuum separandis agit, nil nisi nomen Magnetis albae recenset; quod postmodum in coelo Philof. siue libro vexationum, Reg. V, p. 928, paululum explicat, quando illud apud Germanos Contrafeit/ *Wißmuth*/ audire, *antimonique speciem albam*, tunc admodum *affinis*, & cum nigro antimonio *mistam*, ad lunae *augmen-*

gmentationem adhiberi scribit, & Tom. 3, pag. 711, in primo Manuali, *Magnesium cum duplo mercurii sublimati in liquorem, oleo similem, per distillationem conuersam, mercurium & alia metalla tingere docet.* Basilius Valentinus, ratione significationis magnesia Paracelso *συνφωδόν*, Part. 2, oper. lib. I, c. II, eam *mediam inter stannum & ferrum constituit*, libroque 2, c. 10, *haud prorsus ab argenti & stanni minera liberam, ex imperfecte puro mercurio, sale iouiali & sulphure lunari, fragilique terra compositam esse narrat.*

§ IV.

Enimvero quis non videt, haec omnia non magis in nostrum scopum quadrare, quam a B. Brunone in castellum renouatum sedulo congesta nominata, quod scilicet vulgo quidem magnesia *marcasitae*, apud Artifices autem modo *amalgama stanni aut argenti*, modo *materiam lapidis Philof.* significet, multasque satis ineptas appellationes gerat; inter quas facile ineptissimae videntur, quando per eam *testudinem*, aut *sulphur*, aut *foeminam* notari, a Ionsono dicitur in lexico. Apud Schroederum, Pharm. lib. 3, c. 17, vocatur *antimonium magnesia Saturni*, a potentia metalla deuorandi. Nec desunt, qui heparantimonii, ex aequalibus nitri & mari-ni salis partibus compositum, ob constructionem suam, *marcasitae non absimilem, & colorem rubellum, magnesia opalinam* cum Lemery, cursus chym. cap. 9, p. 276, salutant.

§ V.

Restat, ut verbo tantum lapidem illum nigrum, *ranganus*, quem Andr. Caesalpinus, de Metallicis, lib. 2, c. 55, *magneti similem & a vitriariis usurpatum, vulgo Man-ganese*, ab Alberto magnesia salutaris, &, non nisi errore,

ex Germania afferri scribit: cum potius eundem passim a loco, ubi copiose inuenitur, *magnesium Pedemontanum* vocari constet. Describitur haec a D. Valentini, in Museo museorum, lib. I, c. 14, p. 40, ex Pometi Histoire des Drogues, p. 64, quod strias subtiliores & consistentiam magis friabilem antimonio habeat, raroque griseo colore, copiosius vero nigro afferatur, & cum vitro fusa ipsi crystallinam claritatem conciliet. Pertinet igitur, ut videtur, ad ferri mineras; unde ipsi hodie lapis, *Draunstein* audiens, quem Misnia & Bohemia suppeditant, cum fructu substituitur, ut Pedemontana magnesia carere queamus.

§ VI.

Enim vero cum nec ab his etiam quippiam expectari possit, quod indicet, unde commune nostro medicamento cum istis nomen, a magnete deriuandum, venerit, ideo de etymologia desperantes, ab ulteriori inquisitione ineam, & congestione variarum significationum manum, retrahimus, ad distinctam definitionis explicationem processuri.

§ VII.

Est in ea genus *puluis*, unde D. Valentini, in Aram. art. & nat. part. spec. c. 7, propos. 3. etiam *magisterium & secula alcalina* audit. Cum vero satis constet, vix auditis hisce nominibus, multis Magnesium nauseam creaturam esse, qui talismodi medicamenti formam carne peius & angue abominantur, & terguerfatione contra pulueris usum, haud raro occasionem medendi temere praetermittunt: ideo gratiosa Medici prudentiam alio, quam isto habitu delicatulis propinare laborabit, ut patet, ubi de usu ageretur.

§ VIII.

§ VIII.

Diximus praeterea puluerem *leuem*, quo ipso vsum eius non solum puluerum oforibus, sed illis etiam minus gratum reddemus, qui licet haud omnino eos auersentur, attamen in angustam molem coactos appetunt, vastosque contra ea & supra margines cochlearium protuberantes, suberisque instar vehiculo innatantes *absan* 525 aceruos plane respuunt. Alti salua res est, quia leuitas magnesia a raritate substantiae siue textura dependet; quatenus scilicet, particulis eius inaequalibus, laxae sibi incumbentibus, multus aer interponitur, vt magnum spatium impleant. Quod si vero in mortario haec per trium complanantur, vt propius ad se inuicem accedant & aer ex sublatis interstitiis expellatur, parietesque plerisque in locis sese contingant, tunc arctioribus limitibus continentur, facilius fundum liquoris, cum quo sumuntur, petunt & insuper candidiores euadunt.

§ IX.

De albedine, qua purgans nostrum oculis abblauditur, aegrorisque sese commendat, nullum dubium est; talis enim, niui minime cedens, vt plurimum exsurgit, in primis cum absque alcali paratus fuerit: vt enim ab hoc, si id bene depuratum adhibetur, raro candor detrimentum patiatur, accidit tamen, vt nisi sal tartari & cineres clauellati a sulphure concretorum, ex quorum cineribus extrahuntur, per calcinationem atque solutionem purgata sint, ab hoc & ipsi adhaerente terra griseus puluis accipiatur.

§ X.

Post colorem altera Magnesia commendatio ex odoris saporisque defectu fluit. Hoc enim ipso, ceu nobili quadam *εξοχη*, eam plurima purgantia, extrantio-

B

ribus

ribus eiusmodi qualitatibus nobis infesta, antecellere, dudum in proloquio innuimus. Est autem cur ab ea nasus non aequè afficiatur, multo proclivius demonstratu, quam cur sapore nullo polleat. Nimirum, quia tale sulphur, quale, illustris Wedelii effatio, a sale plus minus volatili reclusum & expansum ad odorem requiritur, non amplius in ea reperitur; postquam satis fragrantis salis nitrique spiritus per calcinationem inde separati sunt, qui, quantum sensus docent, sulphureas quoque particulas secum abstulerunt. Est enim ignis sulphuris dominus, quod audidissime depascit, ut ab eo, ceu penetrantissima compagis mistorum clauae, odoratissima concreta recludantur & *aqua* reddantur. Idem vero ius in sapes neutiquam a natura ipsi datum est. Quamuis enim materialem horum causam, salia nimirum ex corporibus insipidis generet, eaque in diuersas species conuersa, modo in fixa concreta coagulet, modo in sublimi tollat, iterumque volatilia efficiat, insipida tamen ea rursus reddere non prius valet, quam vel in vitrum colliquauerit, vel per interuenientem cum humido cohabitationem, forma salinapenitus exuta, in terram transmutterit & aquam, ex qua illa ab initio, secundum Helmontii quidem Tract. Tria princip. Chim. &c. §. 66, p. 395, *propensione spontanea, per dispositionem sulphuris immutata, sed verius per motum & figurae particularum constituentium alterationem* producta sunt.

§ XI.

Manent igitur in nostro quoque puluere, post examen ignis atque aquae superatum, moleculae salinae, sed ita poris terrae illigatae, ut in tumultuaria ista, per linguam instituta exploratione, vix percipiantur, puluisque fere non nisi terream saporem praebet, qualem Medi-

ci

ci vna cum isto, quem aqua pura exhibet, singulari lo-
quendi libertate, *dulcem* vocant, & *anolo*, id est *nullo* ac-
quipollere putant. Tunc demum autem corpuscula a-
ctiua & stimulantia in apricam veniunt, quando in ven-
triculo & intestinis ab inuolueris suis extricata, per ca-
thartericam virtutem suae praesentiae nos certiores fa-
ciunt.

§ XII.

Sequitur iam patria *purgantis incomparabilis*, vt! pa-
tronis suis audit, euoluenda, quam Romam in defini-
tione salutauimus, auctoritate excellentiss. Valentini ni-
xi; qui Armament. loc. citat. & part. general. c. 7, pro-
pos. 5, pag. 96, non solum *Magnesium albam Romanorum* nominat, sed etiam in Hist. nat. Hoff. p. 12, *Romae inuentam*, hinc, referente D. Praunio, per Archia-
trum Caesareum, D. Cöferle, Viennam translata esse
scribit. Quis vero inuentor eius fuerit non liquet. Tam-
etsi enim Romae per Batauum quendam, relictis Refor-
matorum dogmatibus, ad Canonicos regulares minimos
S. Laurentii delapsus, magnam eius quantitatem elabo-
rari & cum lucro publice, sub nomine pulueris *Comi-
tis de Palma*, diuendi, in laudata epistola relatum lega-
mus; haud maiori tamen certitudine alterutrum eorum
auctorem esse, asseuerare quimus, quam Comitum de
Warvich Cerberum tricripitem, aut Marchionem ali-
quem puluerem Epilepticum, Caesaremque pulueres al-
bos atque rubros vna cum electuario contra pestem in-
uenisse, quia nomina eorum pyxidibus inscripta pro-
stant. Solent enim Pharmacopoei medicamentis illu-
strium personarum notas imponere, vel quod talia istis
grata fuerint, vel vt splendorem maiorem que aestimatio-
nem suis meritis apud populum acquirant.

.ol. Salugul. Jodidre. §. XIII. p. incip. soli mus. anvis
 .96 Neque est, cur Helmontio inuentionis gloriā
 obtrudamus, quia Tr. Complex. ac mist. element. signen-
 ta, § 24, pag. 103, modum, *totum salē petrae in terram
 conuertendi, totumque sulphur, semel dissolutum, in pulue-
 rem terrae fixandi* crepat; cum, qui virum morunt,
 cum strenue quidem veterum secure antiquorum pla-
 citis indormientibus excitere, simulque legentibus lar-
 gam arcanorum spem facere, sed promissorum parcam
 solutionem praestare, dudum animaduertebint. Ne ve-
 ro iniqui videamur tanto auctori, adducemus ex tract.
 de lithias. c. 4, § 17, pag. 26, *specimen conuersionis niri
 in terram: vbi flores antimonii, tertia vice cum sale am-
 moniaco sublimatos, & a falsedine liberatos, cum sale
 petrae miscere iubet, idque hac ratione haud amplius
 inflammari & quantum eius admissum fuerit, in terram
 conuertari, salisque naturam negligens, tam audacter
 scribit, vt B. Frid. Hoffmannum peraroqueit, totum pro-
 cessum p. 312 clauis Schröderianae inserere, nonque so-
 lum inde terram cum Helmontio, sed albam insuper & in-
 sipidam, atque adeo vel magnesiā ipsam, vel quippiam
 tamen, facie externa ipsam referens, expectare.*
 Enimvero licet minime nos lateat, huiusmodi
 destructionem niri, haud certius succedere, quam
 ex Xenoni, pag. 343, eiusdem clauis reuelatam, istud scil.
 quinque in crucibulo ignitum, totiesque in aquam bul-
 lientem proiectum, *insipidum reddendum*, equa quam tamē
 terram nitro tenere denegabimus; cum toties seculen-
 tum quid deponat, quoties solutum & coagulatum, hinc
 leuiter ignitum, iterumque solutum & filtratum fuerit,
 An vero talis terra ex solo haec sale, tali modo tractato,

& simul ex aqua, ad solutionem repetitam adhibita, siue fontana, siue fluuiialis, siue pluuia ea fuerit, veniens, nomen magnesia mereri queat, idcirco dubitamus, quod hanc *salis nitri* foetum existere, nec liquor, vnde eam nobis comparamus, nec parandi modus credere permittunt. His accedit, non consultum esse, in solo nitro aliquid tentare, quia Etmüllero iudice, in Pyrotechn. particulae terrestres in hoc concreto adeo firmiter salinis adnectuntur, vt non nisi magno ingenio inde separentur; sumtusque proinde & labores tanti ad magnesia, aut, quem inuimus puluillum, ipsi colore non ab similem, ex eo extrahendum requirantur, vt, referente D. Weissmanno, felicissimo Winsheimensium Poliatro, 3j eius non infra duos florenos vendi queat. Quod illis dictum esto, qui, proterno fati ausu, ex vnica libra nitri non paucas vacias magnesia, leui brachio parandas, pollicentur; sed inuito experimento ruditatem suam in rebus chymicis spectatoribus ostendunt.

§ XV.

Neque enim, quod dudum indicauimus, nitrum nobilis eiusmodi prolis mater est: cum ex definitione constet, potius lixiuum, à crystallorum nitri (quas radios, *Strahlen* appellant, quia a peripheria vasis versus centrum eius, instar radiorum crystallinorum, exporriguntur) generatione restans, ipsi materiam suppeditare. Vocatur hoc a D. Praunio, in epist. laudata *Matrix nitrariorum*, cui apposita germanica appellatio, *Salpeter Saugo* non bene responderet, cum ceu nimis generalis, nec in officinis usitata, nec vni praecipue liquori, sed diuersis, ad salis huius praeparationem concurrentibus, ea competat. Etenim Erkerus, in Aula subter. lib. 5, a p. 308 ad 313, minimum quinque species lixiuorum,

die schwache / rohe und starcke Lauge / nec non den
 starcken und schwachen Nachsatz / nitri causa parare
 docet, nostrum autem modo Lauge absolute, modo
 starcke abgeschöpfte Lauge vocat. Hodie in quibus-
 dam officinis trium fere lixiuorum mentio fieri consue-
 uit, quorum prima, Erd Lauge audiens, ex terra, e
 stabulis, cellis subterraneis, ruderibus aedificiorum, &
 multis aliis locis effossa, per aquam extrahitur. Habet
 enim terra salia, partim in creatione mundi ipsi implan-
 tata, & quotidie per vapores mineralium subterraneo-
 rum communicata; partim iisdem extrinsecus ab ath-
 mosphaera, pluuiis, excrementis animalium, volucrum
 inprimis, calce item murorum & cineribus saponario-
 rum tinctorumque recrementis, & quibusuis aliis for-
 didis abiectisimisque rebus impraegnatur, quae post-
 modum, per superuenientes fermentationes, putredi-
 nes & coctiones, praeter alias figuras, etiam ad nitri con-
 stitutionem aptas sortiuntur. Ex primo hoc & simplici
 lixiuio cocto & adhuc a coctione calente, transq; cineres
 filtrato fit secundum, die geläuterte Lauge / ex quo
 per vltiorem humidi euaporationem, crytalli produ-
 cuntur, quas tertium lixiuium, de quo in praesentia,
 verba facimus, interfluit. Hoca D. Valentini in Arma-
 ment. cir. Salpeter-Mutter / a nostratibus opificibus
 die Mutter-Lauge & Heß-Lauge salutatur, quod
 absque eo vel nullum nitrum, vel difficulter generari pu-
 tant. Inualuitque haec fabula adeo inter nonnullos ni-
 tri coctores, vt a morosis illis atque tenacibus hominibus,
 verbis D. Valentini, in Prodr. cir. nec prece nec pretio id
 extorqueri queat.

§ XVI.

Substantia eius & color est vt vulgo lixiuorum
 alca-

alcalinorum saturatissimorum esse solet, vel vt nulli atque cereuisiae hordeaceae, magis tamen minusque fuscus vel castaneus spadiceusque, prout liquor per ignem spissior aut diluitor redditus, maiori minorive \ominus is, sulphuris atque terrae quantitate refertus fuerit. Vt proinde haud aequae certum pondus pulueris, ex cuiuslibet libra lixiuii reportandum, definire liceat; inprimis si hoc non merum adhibitum, sed cum alcali fixo, quod epipti, praescribit, copulatum fuerit. Sapor mistus est, & valde ingratus, vt pote, nostra quidem lingua iudice, *nitrosum* quid, & *culinari sali* simile *alcalinumque* ipsi offe-rens; non simul quidem & vna vice, neque etiam distincte & seruato ordine, sed successiue quasi, vt prior fapor a subsequente deleatur. Nimirum salinis moleculis interponuntur sulphureae & terreae, vt istae sua spicula libere in linguam vibrare nequeant. Id quod in solutionibus cancrorum, aut concharum, per succum citri & acetum, aut metallorum per liquores mineralium *σαλακτινός* abunde patet, in quibus austeri, amari, nauseoseque dulces sapores, a soluti soluentisque indole diuersissimi emergunt.

§ XVII.

Vt lixiuium haecenus per linguam examinatum, oculis quoque diuersa sua salia exhibeat, nullo ferme labore opus est. Si enim vnciae aliquot blandissima euaporatione in humili cucurbitula tertia vel quarta parte humidi priuantur, & per vnum alterumque diem in locum frigidum reponuntur, obducuntur fundus vasis eiusque latera ad notabilem altitudinem, sale fuluo micanteque, ex quo innumerae crystalli, lamellas & prismata referentes, leui flauedine tinctae, & quartam tertiamque subinde pollicis longitudinem, aequantes prominent, quae iu-

cun-

cundissimo spectaculo sua uiter confuso situs ordine, a peripheria centrum versus porriguntur. Sunt hae magna ex parte nitrosae, sed minime purae, quin, more salis culinaris, super carbonem ignitum deflagrantes strepant, multumque salis, quod opificibus *Schalz* (forfan rectius *Schlacken*) audit, relinquunt, Fundus autem crystallorum magis salis culinaris habet, Hoc enim cuncta pro nitro parata lixiuia ut plurimum abundant, ut Nitrii illud; durante coctione, cochleari cupreo perforato ex fundo aeni extrahant, & postmodum a lateribus cupae, in qua ista, ad crystallorum generationem sufficienter cocta, aliquamdiu stare debent, copiosum abrasant & ad domesticos usus, praeuia depuratione, impendant. Propter idem sal nunquam solam matricem a crystallis nitri effusam, igni tradant, cum ex ea nil nisi massam fuscam, coagulatam reportantes, *die Mutter-Lange habe sich zu tode gefocht* / dicere soleant; sicut e contrario eandem, cum lixiuio primo atque secundo recoctam, nitri prouentum augere putant, *sie hecke den Salpeter*.

§ XVIII.

Aegrius *alcali* lixiuii oculis exponitur, quod tamen ipsi inesse, natura nitri & salis culinaris, ceu concretorum *salforum*, ex quibus istud potissimum componitur, ut & productio eorum, ex coniunctione spirituum acidorum cum fixo aliquo alcali, euincunt: quicquid etiam Viganius de eiusmodi artefacti nitri ineptitudine ad tonantem puluerem, contra autopsiam opponat. Sed adeo firmiter acidis salibus, secum nitrum & sal commune constituentibus, innexum est, ut nulla, nobis quidem cognita arte, iterum seorsim sisti, nec per fortia mitiaque acida ad aliquale ab iis diuortium sollicitari queat. Hinc frustra spiritus nitri, salis, viridis aeris, clyssus, acetum destil-

stillatum &c. lixiuo nostro affunduntur; cum, praeter coloris mutationem, in eo nihil praestent. Resoluit equidem acidum, quod in macrocosmo cum bitumine sulphur commune, cum terra alumen, & cum Marte atque Venere vitriolum constituit, firmum istud vinculum; sed nouo & indissolubili nexu ab aliis acidis liberatum alcali sibi iungit. Si enim oleum vitrioli lixiuo nostro in haud exigua quantitate instillatur, tunc leuem ebullitionem & vasis manifestam calefactionem excitat, expellitque cum fumo & odore aquae Regis supra memoratos acidos nitri & salis communis spiritus, eodemque actu cum alcali relicto combinatum, mox in falsa granula, longissime a nitri atque salis natura recedentia, tartarumque vitriolatum quodammodo aemulancia coagulatur.

§ XIX.

Sulphur salis communis, si a colore spiritus aureo & terra flaua inflammabili, ipsi inhaerente, recesserimus, nares magis quam oculos ferit, nitri vero insuper & manus colore flauo inficit. Conatur equidem Nicolaus Lemery, *Curs. chym.* c. 16, p. 374. nitro sulphur per argumenta, ab eius *puritate, pelluciditate & refrigerandi* de sumpta, denegare: enim vero nullo doctorum, nisi eorum impetrato assensu, qui terminis technicis ludentes, ne spiritui vini quidem sulphur inesse statuunt, oleosumque & inflammabile, quod ipsi est, sulphuris appellationem non mereri asserentes, eadem libertate id ipsum nitro concedere recusant, qua spiritum, inde per bolum & argillam ignis ope prolectum, non *acidum* sed *acerrimum potius* vocare, eumque non ex nitri substantia, sed ignis particulis, liquori adhaerentibus (vnde alcali quoque suam acredinem accipere dicunt,) deriuare amant.

§ XX.

Delibatis magnesiaelementis, in lixiuo habitantibus

C

tibus

ribus, ad modos, eam inde producendi, transeundum est. Inter quos, quem excell. Valentini in epist. p. 10, cum legentibus communicat, non omnibus adeo aperte traditus apparet, quin nonnullis, haud sufficiente ad experimenta patientia instructis, effectu difficilis videatur, qui dosin ingredientium, admiscendique alcali speciem & consistentiam definitam cognoscere cupientes mirantur, calcinationem eius cum lixiuo praecipui, antequam, qua ratione ambo ad eam praepararentur, indicatum sit: deinde dubie de sulphuris in spiritu, sub fumi ignei specie, auolante, praesentia loqui vident, & tandem loco *alkali fixi*, cum quo spiritus nitri in verum nitrum abeat, typographi culpa, *acidum fixum* positum esse suspicantur. Enimvero cum alios, magis exercitatos, hi scrupuli minime offendant, hinc non vna ratione ad tam laudati medicamenti possessionem annituntur.

§ XXI.

Variant autem proventum pulveris non solum lixiui substantia, secundum § XV, tenuis & crassa, sed adiuncta etiam horumque quantitas; vt per vnus eiusdemque alterius processus descriptionem palam faciemus. Initium dabit simplicissimus modus, repetitis vicibus a nobis obseruatus. Commisimus lib. IV, matricis nitrariorum, modo catino ferreo modo, ollae terreae, vitro non obductae, amplioris orificii, coximusque eam, sed igne blando, ne, plus iusto excalesceta, oras vasis bulliando supergrederetur, vsq; dum in massam luteam, vix spatula ferrea vel lignea amplius agitandam, coagularetur. Tradidimq; tunc eam in eadem olla, vel securitatis a ruptura causa, in crucibulo, igni aucto, qui subtiliores nitri atq; salis partes, in fumos fuluos resolutas abegit, fixioresque in calce reliquit, quas per multam aquam maxima ex parte inde se-

para-

parauimus, vt tandem adeo desideratum *δοξον τῆ οὐσῆ*
magnesia scil. alba in medium prodiret, puluis albisfi-
mus, probe exsiccatas uncias quatuor cum dimidia pen-
dens, extantioribus spiculis eousque orbatus, vt haec
linguam non aequè ferirent, a vitali vero ventriculi ca-
lore demum atque menstruo microcosmico vniuersali
extricanda.

§ XXII.

Aqua, a lotura pulueris residua & in vaporem re-
soluta, reddit salinas miculas absorptas, & in massulas ir-
regulares, haud pure quidem alcalinas coeuntes, sed ita
humido atmosphaerae patentes, vt facile deliquescant, &
inter medicamenta aperientia, abstergentia, & diureti-
ca referendae sint.

§ XXIII.

Cum autem, durante calcinatione, magnam vaporum
copiam, eos, qui spiritum nitri atque aquam fortem con-
stituunt, prorsus colore fuluo odoreque sulphureo acri
referentium, in auras auolare cerneremus, horum cap-
piendorum gratia lixiuium, in massam compactum, non
amplius in aperto vase, sed retortae inclusum calcinati-
oni subiecimus, ex qua in vas amplum recipiens, uncias
aliquot aurei liquoris fumantis & guttulas, oleo similes,
in superficie gerentis collegimus; qui licet diuersae ab
aquae fortis & regiae natura extiterit, argentumque pari-
ter & aurum aggregiens, neutrum tamen rectè soluerit,
ad varios nihilominus vsus medicos mechanicosque ha-
ctenus impendi potuit. Quod restitit in retorta colo-
rem fuluum mox in niueum mutauit, quamprimum a-
quae immersum, ab eadem lotum & decenter exsicca-
tum fuit.

C A

§ XXIV.

Anteposuimus equidem hunc magnesiæ parandi modum reliquis nobis notis, quod illam, nullius additamenti suspectam, mediocri opera pretioque facili, solo fere modo dicto spiritu ambidextro sumtus compensante, haberemus: ast ne nostra aliis obtrudere videamur, duas alias adhuc vias, ad thesaurum istum in largiore quantitate capiendum, ostendemus: quarum vna, vt chimici loquuntur, *sicca*, altera *humida* existit. Pro priori calcina massæ, supra memorata ratione, ex lixiuio in olla productæ, partem vnâ, cum falis tartari duplo bene mistam, in crucibulo, idque prouide, propter insignem ebullitionem, lente festinando, vt per horam vnâ ignita fluant: calcem frige factam, more recepto, dulcem redde, habebis magnesiæ vnciam vnâ & amplius ex vnciis quatuor massæ. Sunt qui triplum falis tartari adhibent, maiori sumtu quidem, sed lucro non aequè aucto. Imo vidimus messem pulueris largiorem, coloremque eius nitidiorem a cineribus clauellatis, quam a fale tartari, vnde modo griseus, per causas, § 9 allegatas, modo viridescens & coeruleus apparuit.

§ XXV.

Alter, isq; per *viam humidam* modus est, quando maritrici nitrariorum olei tartari per deliquiū, vel liquoris alcahesti Glauberi æquale pondus, vel, pro re nata, paulo plus instillatur, vbi ambo liquores, accedente leni vasis commotione, absque visibili efferuescentia, in grumos natantes, mox in offam abeunt, aqua simplici diluendam. Hac enim omnino opus est; inprimis si lixiuium nimis spissum & per alcali minus mobile fuerit. Hinc nulla quoque cernitur efferuescentia, quæ alias, perpétua naturæ legis vi, ex concursu alcali & acidi oriri solet: quia
partie

particulae salinae acidae, per alia corpora interposita ita obvoluuntur, vt non acturum ab alcalinis attingi queant, & pro eorum in se inuicem actione aqua, ceu medio, ea dissolvente, opus sit. Quamprimum particula haec quiescens ad fundum vasis secesserit, redditur ea per aquam saporis expers, & siccatur in eodem vase, vel in chartaceo filtro, vt granula, in quae coaluit, tritu in puluerem conuerti possint. Est haec operatio omnium facillima & fertilissima magisterii, nimirum ex vncia vna lixiuii dragmas duas cum dimidia largiens, sed coloris plerumque fului, qui niue candidior a D. Praunio requiritur, & virtutis magis diureticae quam laxantis. Si spiritus salis ammoniaci praecipitationem absoluit, prouenit puluillus subtilior nitidiorque.

§ XXVI.

Quod si alicui etiam circa aquam, in vtraque via, ad salia eluenda adhibitam, quippiam tentare lubuerit, is per eius euaporationem substantiam, de sale communi & nitro participantem accipiet, quae interueniente calcinatione & liquidi alcali affusione, terreum quid deponet; sed tantillum, vt laborem & sumtus minime compensaturum sit.

§ XXVII.

Nolumus circa vltiores praeparationes medicamenti prolixiores esse, cum, quos haecenus videlicet, processus tandem huc recidant, vt puluillum dulcem, haud tamen adeo omnibus miculis salis orbatum. producant, vt quicquid virium catharticarum, sudoriferarum atque diureticarum is ediderit, id omne aequae a terrea alcalinaq; absorbendi vi dependere queat. Cum enim plura pharmaca, a linguae inspidorum numero inserta, ingentes effectus, per intus labitantes & a nostris

coctionis primae instrumentis demum extrosum verfas
 particulas activas edere cernamus, hinc etiam a magnē-
 siae terrea substantia acres quoscunque humores, quibus
 inprimis cholericus & melancholicus abundant, temperari
 quidem, ab adjuncta salsedine autem lentam pituitam at-
 tenuari, excretionisque organa blande stimulari, tam diu
 ratum habebimus, quamdiu euentior agendi ratio de-
 siderabitur.

§ XXVIII.

Vires magnesia decantatos eius immunitas ab
 atrocibus Helmontii & Gehemae contumeliis multum
 subleuabit, & quod *communibus*, vt contemtim appellan-
 tur, *purgantibus* obiectae inculpationes eam minus tan-
 gant. Cum, vt ex epistola, crebro allegata, intelligimus,
 Fautores pulueris nostri, pro eius bonitate spondentes,
 in se recipiant, eum ne utiquam, vulgariū cathartico-
 rum more, nauseam & subinde vomitus, aut suis acri-
 bus salino volatilibus, plus minus venenatis particulis,
 cardialgiam & hypercatharsin excitare, aut quod *deasura*
 solent, de viribus corporis semper aliquid detrahendo,
 vitae insidias stuere, nec porro, vel centies assumtum,
 praeter impuritates, quicquam expurgare, multo minus
 sanguinem & stamina colliquando, humidum radicale
 cum ipsa vita exterminare, aut denique adstrictam aluum
 pone se relinquere, vel praegnantibus nocere, neque
 tandem ex dosi eius excedente quicquam metuendum
 esse. Quae omnia largissime promissa, quamuis, quan-
 tum magnesia reliquis catharticois antecellat, satis pro-
 bent, nondum tamen illis satisfaciunt, qui eius dignita-
 tem per eiusmodi negantia praeconia satis celebrari ne-
 gant, ideoque totas paginas bonis operibus, ab ea ae-
 grotis expectandis, complent. Circumfertur enim di-
 midia

media hoc anno typis excusa plagula, quae, in vernacula nobis lingua, lacteum hunc pulverem omni aetati, sexui & temperamento, ceu generale instrumentum, quaecumque acrimoniam, siue acida, siue biliosa ea fuerit, obtundendi, blandeque absque torminibus educendi laudat, eoque ipso aduersus quasuis primarum viarum cruditates, vitiaque sanguinis & cacochymiam plenissime commendat. Quod scilicet nominatim ventriculi debilitas, inflationes intestinorum, obstructio hepatis, lienis, pancreatis & mesenterii, icterus item & hydrops, aluique siccitas & calculus renum, hinc urinae difficultates atque ardor, gonorrhoea, anxietas praecordiorum, defluxiones acres, tussis, respiratio difficilis, phthisis incipiens, odontalgia, ophthalmia, dolor capitis, & artuum, pruritus, similiaque a scorbuto profluentia mala, ab eo profligantur.

§ XXIX.

Possimus hisce plura adhuc elogia, ex amicorum literis D. Praesidi communicata, adducere, in quibus verum panchy magogum, tenerrimis ventriculis innoxium, tutumque acutorum pariter, ac chronicorum mediaeq; naturae morborum pharmacum salutatur, & proinde in febris intermittentibus quibuscumque, cachexia, chlorosi, asthma, ardore ventriculi pertinaci & potissimum ab alui segnitie fato, obstructione item mensium & retentione lochiorum, arthritide, podagra, malo hypochondriaco, passionibus vterinis & scorbuto insigniter extollitur: sed consulto ab ulteriori virtutum recensione abstinemus, mores agyrrarum & odiosas laudum exaggerationes auersantes.

§ XXX.

Quamuis enim D. Praesidi, ex quo ipsi nouum hoc

remedium innotuit, occasiones, istius vires penitus experiundi, non defuerint, haud vnum tamen impedimentum ausibus ipsius obstitit. Primum peperit inopia lixiui, ex disitis a nobis locis, non sine molestia amicorum, istud coementium, apportandi: cum tamen largior dosis pulueris haud exiguam istius quantitatem postulet. Alterum dependit a modo dicta grandiori mole medicamenti; ad ʒij subinde & vltra extendenda, & hinc a plerisque aegris repudiari solita. Tertium promissa quidem, sed frustra expectata catharsis praebuit; cum, haud raro satis magna portio magnesiae vel nullas, vel vix effatu dignas sedes excitauerit, vt cacaturientibus per essentiam ialappae, cum sirubo ros. solut. aut pomor. missam, aut pilulas, (non magis a sapore, quam operandi suauitate dulces vocandas) subuenire opus fuerit; alios contra eaiusto crebrius desiderere coegerit, paucosque, vel mediocriter saltem motos, absque molesta animorificatione dimiserit.

§ XXXI.

Ex hisce tribus fluxit quartum sufficientis experientiae obstaculum, quod nondum tantus victor nauiseae, repertus fuerit, qui tertia vel quarta vice iustam dosim sumere voluerit: vt scilicet de toties laudata facultate, corruptos tantum humores expellendi, certius constaret. Cum enim neminem practicozum lateat, saepius infusa, pilulas, similiaque, pro scopo per epicrasin purgandi, data, primo die duas tresve sedes, sequente nullas, tertio iterum paucas, quarto vero copiosiores, & sic deinceps nullo certo numero definitas excitare; hinc parum abest, quin suspicemur, magnesiam vice reiterata datam, subinde non tam propter defectum materiae peccantis, quam ob causas, aliorum quoque purgantium *ἐνέργειαν* irri-

irritam facientes, nihil euacuare; ideoque superbum illud electiue purgantis prædicatum fallaciae non causae superstructum esse.

§ XXXII.

Quintam remoram putat D. Praefes senectutis vitii annumerandam *dyrdigeneu*, in hoc negotio circa medicamenta, per tot annorum diuinam benedictionem feliciter vsurpata, versantem, attulisse; cum scil. ad *euacuationes* hactenus rhabarbarum, senna, jalappa & modernorum scammonium (aspectu tetrius quidem illo veterum, antiquam ceram referente, sed tutius tamen & sufficienter agens,) paucaque alia sibi suffecerint, ad *alterationes* autem mercurialia, martialia, antimoniatia, multaue fixa & volatilia praesto fuerint, ideo haud temere haec, in supra memoratis affectibus curandis, puluillo eiusmodi imbelli postponi, & fiducia nouorum armorum, diu cognita & adueta abiici debuisse. Vt ratio dictorum per exemplum appareat, discrimen inter magnesianam & rhabarbarum adducemus. Cum enim hoc cepties olim dysenteriam inchoantem represserit, acridinem humorum, intestina ad excretionem irritantem, partim blande educendo, partim temperando, & in nupera lue etiam in magnesia celebrata blande euacuante & absorbente virtute, praesidium quaereretur, certe indigos opis atque auxilii nos dimisit.

§ XXXIII.

Possent alia adhuc parallela loca in medium produci, quam parum scil. nuper ex dysenteria, male curata, arthriticos & podagricos factos iuuerit, segniterque verno tempore cohortes febrium intermittentium debellauerit; si praesens institutum ex defensoribus medica-

dicamenti impugnatores eius fieri permitteret, neque etiam *dosis* eius potius & *modus utendi* explicanda restarent: de quibus paucissimis agemus, ad epistolam D. Valentini & Schedulam § 20 nominatam, B. L. ablegantes. Summa dosis est trium drachmarum, media ab una ad duas, infima, quando pro infantibus, pueris & debilibus a granis 4, 6, 8, ad semi scrupulum, vel integrum, dimidiamque drachmam ascendimus. Qui vero aduersus chronicos morbos usum eius ad mensem dimidium & ultra protrahunt, pro re nata, vix drachmam excedant; nisi viscera firmiora, humeros fixiores, acidumque ventriculi abundantius habuerint. Vehiculum est potus ordinarius vel mulsum, brodium prunorum, lac eiusque serum, nec non emulsio amygdalina, aut chocolata, thee & coffe; non aequè vinum, nisi admodum dulce fuerit. Cum his puluis ex cochleari fumitur, aut ex poculo, cum grato liquore in potiunculae formam redactus, hauritur. Sunt qui bolos & pilulas, cum sirubis & conferuis inde parant: est enim circa appetitum & opinionem aegrorum medico conueniendum.

§ XXXIV.

Supereff, vt de vicariis magnesiaë paucis adhuc agamus; vbi verbo tantum salis Anglici, ex aquis Ebshamensibus parati, mentio faciendæ est, cum, a ʒj ad ʒij propinatum ventrem atque vesicam moueat: Idem quoque sal istud enixum, ex alumine soluto & alcali fixo resultans facit, quod hic locorum a nonnimine, sub inepto salis *asphaltis* vel *magnetici* nomine, inter arcana seruari aiunt. Possunt enim haec omnino quidem, suo modo & purgandi sine praescripta, magnesiaë surrogari, sed destituuntur altero elemento, *absorbente* scil.

salis. eaque polychresta *terra*. Hinc sunt, qui per antimoni diaphoretici, plus minus salibus eminentibus priuati, doses longe minores, quam magnesia esse solent, ventrem absque notabili incommodo soluunt, idemque de copiosa terra alba, ex modo citato alumine per alcali praecipitata, promittunt. Alii aliud quid comminiscuntur, vt numerum pharmacorum augeant. Sic plebs per manipulum salis communis, cum aqua fontana haustum, ventrem eluit, id quod alii foetente brasicae muria, aut auium muriumque stercore praestant. Cerdones liquorem putidissimum, in quo coria macerantur, medicamentis officinalibus praeferrunt: imo nouimus, fimetorum succum faucibus ingerentes, forsan nec camarinas & mephitim stygiaeque paludem recusaturos; quibus otambus suas delicias nequaquam inuidemus.

§ XXXV.

Tandem coronidis loco B. L. significandum ducimus, cum Typographus iam in eo esset, vt vltimam hanc dissertationis plagulam, typis dudum exscriptam, & correctam, prelo submitteret, D. Praesidem literas Norimberga, a D. Leinckero, Physico illustris reipublicae clarissimo felicissimoque Practico, accepisse, cum inclusa schedula, cuius auctor celebrer quidam Sueniae ciuitatis Poliater habetur, in qua magnesia absque adiuncto *albedinis* praedicato, *Anglica Panacea* salutatur & in Anglia ab eccellente chimico inventa, hinc in Italiam & postmodum in Germaniam traducta dicitur. Ipse D. Leinckerus eam se primum in Italia vidisse, eiusque praeparationem in libro, Romae 1706 impresso, cuius titulus: *Il Vainfo degli Acidi* &c. di Martino Polest, sub nomine *Terrae foliatae nitri*, siue Pulueris comitis Palmae inuenisse, scribit, additque simul, in dissertatio-

ne *de nitro*, a D. Zvingero, elapso anno Basileae edita, genuinum modum praeparationis huius pulueris absque alcali, cui nos in § 21 dissertat. nostrae primum locum dedimus, extare. Subiungit deinde nonnulla de usu pulueris & vtendi modo, non sine elogio operationis eius, ob quam Norimbergae a podagricis inprimis expetatur, interque eos a viro septuagenario non solum aduersus vehementem stomachi ardorem, sed ipsos etiam podagrae paroxysmos tanto cum fructu per annum adhibitus sit, vt, si forsan haud omnimoda a malo inueterato liberatio speranda fuerit, insignem tamen eius mitigationem in posterum sibi promittat. Quod Dissertationem citatam attinet, peruenerat equidem obscura quaedam de ea relatio ad aures D. Praesidis, de nouo hoc remedio in ea agi: sed nec Lipsiae, nec Francofurti aut Argentorati exemplar innēnire potuit: quia, per errorem, dissertationem de magnesia alba, non vero de nitro ibidem ab Amicis petiit.

S. S. S. G. S. D.

*V*T magnes ferrum Tua sic magnesia laudem
Attrahit, & capiti praemia digna parit.

Nobilissimo D. Doctorando
anim tu laudo

G. VVOLFFGANG, V. L. DELIUS:

01 A 6603

ULB Halle

3

003 092 291



1007





25.

DISSERTATIO ^{2.} D. B. V.
INAUGVRALIS MEDICA
^{2VA}
MAGNESIA ALBA
NOVVM ET INNOXIVM PVRGANS
POLYCHRESTVMQVE MEDICAMENTVM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

VVILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE AC MONTIVM
ANGARIAE ITEM VVESTPHALIAE QVE E. R.

ANNVENTE ILLVSTRI FACVLTATE MEDICA IENENSI
SUB MODERAMINE

IO. HADRIANI SLEVOGTII

HEREDITARII in Ober-Rosslau

MED. D. ANAT. CHIRVVG. ET BOTAN. P. P.

MED. DVC. PROV.

PRAECEPTORIS PATRONI ET PROMOTORIS SVI VENERANDI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES
INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
MAIORVM MORE RITE CAPESSENDI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

BVRCHARDVS IOANNES LEMBCKEN
VERDENSIS

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

AD D. XVIII. DECEMBR. A. C. MDCCIC.

I E N A E.

LITERIS GOLLNERIANIS.

